COMPENDIUM
VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM
TUM ETIAM
ACTORUM IN CAUSA
CANONIZATIONIS
BEATAE HYACINTHAE MARISCOTIAE

Monialis Professae de sacra sanctae Clarae Familia, seu de Tertio Ordine sancti Francisci.

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum





ROMÆ MDCCCVII.

Apud Lazarinum Rev. Cam. Apost. Typographum



HYACINTHA catholicis, piis, tum etiam genere insignibus parentibus, Comite Marco Antonio Mariscotio, & Octavia Hortensia Ursinia, nata est anno a partu Virginis millesimo quingentesimo octogesimo quinto in gentilitio ejus nobilissimæ familiæ oppido Vineanello prope Viterbium, intra fines tamen Civitatis Castellanæ Diœceseos. Religionis christianæ sacris mox initiata, Claricis nomine indito, Confirmationis Sacramento fuit in tempore munita. Septennis ad putei oram ludens ab vitæ discrimine divinitus fuit servata; siquidem implicito pedibus fune, eo plane decidisset, nisi Deiparæ ope implorata, super putei os tamdiu situli pondere suspensa stetisset, quoad famulus accurrens eam illinc eriperet.

Pueritiam paterna in domo transegit, ubi parentum, maximeque matris cura divinæ legis præceptionibus optime fuit imbuta; & quamquam muliebres adamaret ornatus, virginalem tamen modestiam, ac singularem in parentes pietatem, obsequiumque semper præ se tulit. Adolescentula, ut patri morem gereret, venit in Monasterium sancti Bernardini in urbe Viterbio illic educanda; neque multo post quamvis invita, ut patris tamen voluntati obsequeretur, mira cum hilaritate, animique firmitate religiosam vestem ibidem sumpsit anno millesimo sexcentesimo quarto, ætatis vero undevigesimo,

Claricis nomine in Sororis HYACINTHÆ commutato.

Tyrocinio exacto, sanctæ Claræ, seu, ut ajunt, tertii Ordinis sancti Francisci instituta professa est. Ceterum paternæ domus deliciarum haud oblita, pretiosa per plures annos usa est supellectile, & sericas etiam induit vestes. At vero decem circiter post annis, ex quo se Deo dicaverat, gravi morbo correpta, tum acriter ab Confessario admonita, denique sanctæ Catharinæ Senensis effigiem conspicata, quæ Christum e cruce pendentem suspiciens ajebat: *Quid volo, Domine, extra te?* anteactæ vitæ rationem secum ipsa reputans, facti quam maxime pœnituit, idque unum agendum sibi esse statuit, ut omnibus omnino abdicatis, Christum sequeretur, neque in posterum gloriaretur, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Quo inito consilio manus operi statim admovit, & propositi tenax adeo fuit, ut reliqua vita virtutum omnium laude vel maxime emicuerit.

Primum igitur omnium non modo quidquid vel auri, vel argenti, vel pretiosæ vestis, & supellectilis adhuc habuerat, verum etiam & annuos reditus paterna pietate ei constitutos, & indumenta quæque cum lintea, tum lanea, tunicas quoque ultro, libenterque Abbatissæ remisit, nihil ut sibi omnino reservaret. Itaque posthac in ejus cella excelsa tantum crux, eaque clavis, spinea corona, arundine, spongia, lancea, flagellis, aliisque, quibus Christus tam dira passus est, adornata, & lectulus tri-

bus

bus asseribus, vili sacculo, & villosa lodice stratus, in quo pro cervicali lignum, aut saxum, nisi forte quandoque ex obedientia alio, ceteroquin aspero, uteretur. Ipsa vero non alio vestitu, cultuque corporis, quam vulgari maxime, & abjecto: incomptum scilicet, & rude velum, detrita usu, ac lacera tunica, tum quoque a Patribus Observantiæ, vel Capuccinis emendicata, tam arcta præterea, vix ut gressus movere posset, simul nodosus funis, quo renes præcingeret. Neque eo contenta, quippe quæ Evangelicæ paupertatis amore magis in dies succensa, Abbatissam aliquando rogavit, moneret, numquid præterea posset abjicere? Hæc autem ejus desiderio satisfacere cupiens, cum suasisset, ut ex tribus laneis indusiis, quæ ad corporis munditiem sibi HYACINTHA reservarat, duo abs se removeret, dicto audiens illico removit. In tanta porro rerum omnium abdicatione, ut omnem etiam animi affectum, quamvis honestum, humanum tamen exueret, paternæ oblita domus, oblita generis, oblita parentum, aliorumque propinquorum, nonnullos sibi ex Cælitibus selegit, quos consanguineorum loco haberet, & ne avito quidem cognomine amplius usa, tantum subscribebat: SOROR HYACINTHA MARIÆ VIRGINIS.

Neque vero ejus vitæ asperitas minus eximia, propterea quod sui corporis afflictandi studio quam vehementissime HYACINTHA flagrabat, ut communicans Christi passionibus conformis fieret imaginis Filii Dei. Nam perpetuo jejunare, & quidem in

ipso cibatu, qui semel tantum in die, simplici plerumque pane, eoque secundario, & sicco, aut micis e culina, vel e clibano collectis contenta, sitim frigida restinguere, nisi forte aliquot tantum vel uvæ passæ acina, vel cerasa, sive raphanum, sive quid aliud ejusmodi pro anni tempestate apponeret; & si quandoque obedientia urgeret, quod quidem raro, coctis vesci herbis, quas sæpius aqua, aut vino aspergeret, quo omnem iis saporem adimeret, tum modico etiam uti vino, valde tamen diluto. Porro hic perseverantis inediæ rigor multo quoque major statis quibusdam diebus, iisque sane pluribus, ac fere continentibus. Tunc enim vel cibo, vel potu quidem abstinere, & panis frustulo, quod vix tres uncias æquaret, se reficere, sive lupinos, vel amaras herbas tantum comedere, aucto semper supplicio, quod mensæ assidens summo cum incommodo assidebat.

Somni quoque parcissima, lectulum præterea jam asperum injectis vitis fragmentis magis asperabat, neque prius cubabat, quam ferream catenam, quæ ligneæ cruci in ejus cella adhærebat, ad collum sibi alligasset, ut ne per somnum quidem ab Christi cruce sejungeretur, eo etiam, ut citius ad orandum excitaretur. Ad hæc non alio umquam indumento utebatur, quam obsoleta tunica, quæ corpori quidem tegendo, aeris vero intemperiei arcendæ nequaquam par; & si quando etiam indusio, hoc semper & laneum, & rude. Nudis præterea cruribus, pedumque plantis incedebat, superiore tantum pedum par-

parte ad modestiam tela contecta; & extremo vitæ tempore ob sane multa, & gravia valetudinis incommoda cum sandalia ab Medicis induere coacta fuerit, induit quidem, cruribus tamen semper nudatis. Quin etiam ubi densa nix, vel rigens gelu, in Monasterii horto modo per nives ita hilariter, & tranquille ambulabat, quasi per rosas, vel flores; modo genua, aut crura tamdiu aquæ immergebat, dum frigore rigescens cellam repeteret, ut precationi vacaret. Huc accedebat, quod non ciliciis solum corpus discruciabat, sed & ferreis flagellis, & urticarum, aut ruscorum manipulis modo in cella, modo in obscuro aliquo secessu sese quotidie nudato corpore cædebat, persæpe etiam cruentabat; tum vero plures alias sane novas, ac miras excruciandi corporis rationes in dies excogitabat, ut carnem suam plane crucifigeret. Neque ita raro alterius Monialis, & quidem junioris, ac robustioris opem implorabat, quo vehementius flagris cæsa, magis etiam in suum corpus sæviret.

At his tamen omnibus quotidianis corporis afflictationibus longe asperiores eæ erant, quas singulis Feriis sextis agere consueverat, ut acerbissimos Christi cruciatus præcipue recoleret. HYACINTHA enim, præter quam quod quinque sibi inusserat cauteria, quibus Christi vulnera in se ipsa, ut posset, effingeret, Hierosolymæ iter, (sic enim appellabat,) Feria quaque sexta peragebat. Itaque noctu fune de collo suspenso, interea dum preces fundens certa quædam Monasterii, ejusque atrii,

seu plateæ loca obibat, singulos patientis Christi cruciatus, & suo quemque loco, juxta ac si ibidem eos Christus ipse tolerasset, tum contemplandos, tum etiam imitandos curabat. Proinde in aquas se gelidas mergere, colaphis se cædere, triplici flagello, ex ferreis catenis uno, altero ex urticis, tertio ex ruscis se cruentare, caput acutis spinis transfigere, cruce sibi imposita bis, aut etiam ter plateam ipsam circumire, denique strata humi, cernua, expansisque brachiis Christi in cruce suspendium in se ipsa referre. Quo quidem tam aspero itinere peracto adeo algere, & languescere, sæva præsertim hieme, vix ut dici possit. Ipsa tamen, si quid forte noctis adhuc superesset, eamdem bajulans crucem flexis genibus scalas quasdam ascendebat, quasi si eæ essent, quæ *sanctæ* hic in Urbe appellantur; inde vero ad cellam regressa, atque ad crucem prostrata Deum precabatur. Ceterum aliis quoque in hebdomada diebus sive crucem, sive lignum, sive quid aliud ponderis humeris gestans, & flagello se cædens has ipsas scalas ascendere consueverat. Interdiu autem non modo cibo abstinere, aut amaras tantum comedere herbas, verum etiam cera ex accensis candelis stillante, aut ignitis laminis corpus ustulare, tametsi vulnera ex nocturnis flagellis, tum quoque ruscorum spinæ numquam e corpore avulsæ haud leviter eam excruciarent. Atque hoc vitæ institutum, quod sibi ipsa HYACINTHA præscripserat, ad extremum usque servavit; mirum ut omnibus plane videretur, fœminam deli-

ciis

ciis olim assuetam, cui præterea delicatior corporis habitus, atque obnoxia valetudo, tam duriter se habere.

Interea vero dum HYACINTHA tot, tantisque rationibus corpus debilitare, atque in servitutem omnino redigere contendebat, haud minore sane studio assidua cum precatione; tum præcipue rerum cælestium commentatione animum pascere, atque excitare conabatur. Nempe cum heliotropium intueretur, quod facie ad orientem Solem statim conversa, numquam postea ab eo avertit, Dei Famula precabatur, & precando desiderio inflammari studebat, ut ipsa quoque animum, mentemque in Solem justitiæ Christum perpetuo intenderet. Enim vero fiebat, ut non modo divinum officium, horasque canonicas, tum etiam reliquas preces Monialibus singulis communes una cum ceteris sedulo, diligenterque recitandas semper curaret, quamvis viribus infirma; verum etiam sacris quibusque, quæ in Monasterii templo fierent, interesset. Quod si Christi corporis mysteria, quæ quidem persæpe, usurparet, cum antea, tum postea mente magis, quam ore precationi perdiu vacabat, tantoque præterea divinarum rerum amore, ac dulcedine capiebatur, ut eo die cibum omnino fastidiret. Super hæc, vel in odæo, quo septies etiam in die se conferebat, sanctissimam Eucharistiam, ad quam singularem semper adhibuit pietatem, venerari, eique ignitos sui amoris sensus aperire, vel colloquia in cella miscere cum aliqua ex Sanctis, quas sibi pa-

 tro-

tronas adsciverat, ex quibus unam aliquam quotidie apud se invitabat, vel modo hic, modo illic preces fundere, aut cælestia, maximeque gravissimos Christi dolores meditari. Noctu a perbrevi somno surgens, reliquam noctis partem vel in ejus cella, vel in odæo cum ante, tum post Matutinas orando traducere. Cum vero singulari pietatis affectu Mariam Virginem coleret, innumeras propemodum sui in eam amoris, & venerationis significationes in dies exhibebat, ex quibus profecto illa, quod in ejus honorem singulis Sabbatis sub vesperam, quamvis rigida hiems, aut densa nix, septem in Monasterii horto, easque valde inter se distantes ædiculas obibat, atque in earum quaque diu orabat. Neque id satis: ut enim liberius, ac diutius in precatione, & divinarum rerum contemplatione versaretur, persæpe ad plures, quandoque etiam ad quadraginta continentes dies altum tenens silentium e cella numquam egrediebatur, nisi ad odæum una cum ceteris Monialibus se conferret, aut ad Pœnitentiæ Sacramentum, & ad cæleste convivium accederet. Orabat autem non immota solum, & tanto cum pietatis ardore, ut intuentium animos raperet, sed lacrymis quoque adeo diffluens, ut humus vel ipsa sæpius respersa, neque ita raro ab sensibus alienata. Quod si quid operis faceret, vel cum hominibus, quicumque tandem ii essent, colloqueretur, tum quoque aut divina cogitare, aut de divinis sermones conferre, sic ut mentem, animumque numquam omnino ab Deo abduceret.

Haud

Haud tamen hic substitit HYACINTHA; sed in exemplar sibi ad imitandum propositum Christum Jesum perpetuo intuens, qui se mitem, & humilem corde professus est, tanto humilitatis etiam amore succensa, nihil ut umquam prætermitteret, quod ad sui ipsius despicientiam posset conferre. Cum putaret pristina vivendi ratione nonnullam Monialibus offensionem præbuisse, plures per annos; dum ei per Præsides licuit, persæpe, immo singulis fere diebus in cœnaculo Monialibus cunctis inspectantibus, capite, humerisque denudatis, ac fune de collo suspenso, diris se primum cædebat flagris; deinde vero pravæ, ut ajebat, anteactæ vitæ veniam ab omnibus demississime petebat; denique singulis quibusque, iis etiam, quæ rei domesticæ curatrices, vulgo *Conversæ*, pedes deosculabatur, earumque apud Deum preces quam vehementissime implorabat. Quin etiam sæpe pro foribus cum cœnationis, tum tirocinii conclavis humi strata Moniales enixe rogabat, ut vel ipsæ prætereuntes eam proculcarent, vel religiosæ disciplinæ alumnas ad id excitarent. Atque ex hoc eodem ipso humilitatis amore tum vestitus ille, incessusque totus in HYACINTHA, quo nihil certe abjectius, tum etiam sermo tam demissus in inferiores quosque cujusque conditionis homines, non modo in superiores, ut nihil supra. Hinc quoque ea sæpius usurpata verba, se unam ex fatuis esse Virginibus, ideoque dignam, quæ ad inferos detruderetur: hinc animus ab omni prorsus laude quam maxime abhorrens, nihil ut tam

ægre ferret, quam vel minimum commendari, nihilque tantopere rogaret, quam ut ab omnibus despiceretur: hinc studium opportunitatis cujusque captandæ, qua cum verbis, tum re omnium oculis evilesceret: postremo etiam ea animi firmitas, qua oblatum Abbatissæ munus semper detrectavit, quippe quæ tanto oneri parem nequaquam se esse putabat; ut exterior in ipsa humilitas ab interiore sejuncta numquam fuerit.

Ex vitæ asperitate, corporisque afflictatione, tum quoque ex assidua precatione, & sui ipsius despicientia cum castitas, atque obedientia veluti sua sponte efflorescant, nil profecto mirum, si HYACINTHA, quæ virtutes illas tantopere coluit, his etiam quam maxime enituerit. Nempe casta corpore, & spiritu, ut Agnum cum Virginibus sequeretur, nihil umquam, ne ante ipsam quidem vitæ commutationem, neque verbis, neque gestu, unde vel leviter pudor læderetur; & si quid forte ejusmodi audisset, illico sudore diffluere, & animo etiam deficere. Totus præterea corporis habitus ita ad modestiam compositus, ut omnes admiratione compleret; oculi vero in terram perpetuo dejecti, ubi cum iis, qui eam convenirent, colloqui oporteret. Tanto profecto hujusce virtutis studio ipsa tenebatur, ut ad eam alios magnopere hortaretur, & summa cum animi voluptate servatæ castitatis exempla perlegeret, doleret autem vehementer, cum Virgines e Monasterio egredi nuptum tradendas videret, nonnullas etiam condiderit preces ad hanc

ipsam

ipsam virtutem incolumem tuendam , dubitari ut nullo modo possit , quin virginalem candorem , quem semel accepit , ad obitum usque integrum omnino servarit .

Obedientia autem tanta , nihil ut umquam agendum sibi esse putaret , neque etiam in virtutibus se exerceret , nisi obedientia præceptrice , ac duce . Hac porro de causa Abbatissæ munus constanter respuit , Vicariæ vero semel tantum obedienter suscepit , ut scilicet virtutis hujusce merito ne umquam careret . Quamquam hæc virtus quam eximia in HYACINTHA fuerit , vel ex hoc uno intelligi facile potest , quod colici , quibus afflictabatur , dolores statim remiserunt , ubi Abbatissæ consiliis obsequutura , ex tribus laneis , quibus tum temporis utebatur indusiis , duo abjicere haud dubitavit .

Firmissimis hisce fundamentis suffulta HYACINTHA , animi quosque motus , & cupiditates compescere , ac frangere facile potuit , ut ad virtutum omnium fastigium tandem perveniret . Scilicet ipsa modo fame pressa, panem quidem capere manu , intactum tamen postea suo loco restituere ; modo alicujus edulii appetens , vel illud sibi parare , paratum vero egenis præbere , vel in cella sepositum , dum putresceret , ori subinde admovere , & deosculari . Ad hoc linteola , quibus insanabile , putridumque Monialis ulcus fuerat obductum , quantumvis licet fastidiret , naribus identidem admovere , ac lingere ; tum quoque Sorori rei domesticæ curatrici graveolenti cancro afflictatæ mi-

 niste-

nisteria quæque facere, ulcus etiam lambere. Natura porro ita comparata, ut ab solitudine potius aliena; ipsa tamen per plures sæpe dies vel ipsarum Monialium congressus defugere, neque e cella prodire, nisi cum religiosæ disciplinæ ratio postularet, sæpe etiam in secretiora Monasterii loca se abdere, numquam vero in propinquorum, ne dum in aliorum hominum colloquia venire, nisi quando aut obedientia, aut caritas ad id adigeret. Mira tamen in primis erat æquanimitas, constantia, hilaritas etiam, quam semper præ se ferebat cum in tot, tantisque sui corporis afflictationibus, tum vel maxime in adversis quibusque, ac molestiis tolerandis. Dicteria, convicia, ceteras quasque cum verbis, tum factis inlatas sibi injurias non æquo tantum animo, sed & gaudenti excipere: deinde vero & se demittere, & gratias agere, & pedes deosculari, aut alia amoris, ac benevolentiæ indicia iis exhibere, qui intulerant, immo etiam eas beneficiis rependere; sic ut apud Sanctimoniales proverbio increbuisset, qui ab HYACINTHA quidquam expeteret, eam prius offenderet oportere. Quod quidem cum alias sæpe, tum maxime cum in cœnatione Monialibus cunctis, prout consueverat, pedes deosculata, uni deinde ex Sororibus Conversis osculatura, ab hac non dicteriis modo fuit lacessita, verum & calce in ore perculsa. Tum enim vero Dei Famula nihil admodum commota & contumeliæ acerbitatem hilariter devoravit, & Moniales hac de re graviter querentes lenivit, ne meri-

ri-

ritas tanta injuria pœnas reposcerent, & vero etiam arctiore amicitia Sororem ipsam complexa est. Jam si ægrotaret, ægrotabat autem sæpe, & colicis fere angebatur doloribus, incommoda quæque valetudinis, morbique vim, quamvis acrem, tranquillo semper, libentique animo tolerare, & nihil aliud Deum rogare, quam ut pati posset, & Christo crucifigi. Neque alius animus, aut alia HYACINTHÆ vox, si quando divinis spoliata solatiis solida se virtute sustentaret.

At quidnam HYACINTHÆ vel grave, vel molestum, quæ tanta in Deum caritate flagrabat, quanta maxima dici potest? Nimirum ipsa ab omni vel levi noxa summopere abhorrens, id unum mente agitabat, ut divinæ voluntati omnino inserviret, atque in Deo uno conquiesceret. Qua ex re in Deum perpetuo intuens, ex rerum omnium aspectu, atque vel ex ipso avium cantu in Dei amorem magis magisque sese excitare; tum de divinis rebus magno cum pietatis ardore loqui, & qua verbis, qua re, quos posset, Dei amore inflammandos curare; postremo etiam in fervidos piæ mentis affectus identidem erumpere, & velut divino hoc amore languere, noctuque fenestras sæpius recludens exclamare: *Amor*, *amor*! Ea omnino hujusce amoris vis in ipsa erat, ut foris undique emicans, ex suspiriis, quæ trahebat, ex lacrymis, quas effundebat, denique ex ore, gestu, totiusque corporis habitu satis cuique pateret, qua divini amoris flamma tota conflagraret.

Atqu

Atque ex hoc tam incenso in Deum amore, egregia nimirum illa in homines caritas, hoc etiam magis admiratione digna, quo minus a fœmina, præsertim inter Monasterii claustra degente, exspectari posse videbatur. Dolebat ipsa, ac vehementer angebatur, cum videret homines nihil de eorum animæ salute cogitantes temere in Deum peccare, atque adeo Dei iram in se ipsos concitare. Horum porro mentis cæcitatem, atque infortunium quam maxime commiserans, preces assidue, lacrymasque fundebat, diris quoque flagris se cædebat, ut delictorum veniam, morumque emendationem peccantibus ab Deo impetraret. Dum vero hæc ageret, interea qua monitionibus, qua suasionibus, qua aliis, quibuscumque posset rationibus, errantes ad salutis viam revocare conabatur, etiamsi convicia, aut alia essent incommoda toleranda. Itaque haud numero pauci, & ex his etiam honesto loco nati extitere viri, qui ab vitiorum cœno per HYACINTHAM emersi, eam præterea vitæ rationem postea tenuerunt, qua aliis exemplo ad virtutem prælucerent. Neque vero ex meretricibus defuerunt, quæ ejus hortationibus ad probitatem, morumque honestatem primum traductæ, deinde etiam vel in Monasterio, vel alibi in tuto ipsius opera fuerunt collocatæ. Curam quoque omnem, industriamque in id conferebat, ut puellas, præsertim si periclitantes, ac pauperes, virginitatis amore accenderet, tum vero collatitia pecunia sumptus necessarios suppeditare, ut, si vellent, religiosæ vitæ disciplinam possent

sent amplecti. Si quæ porro dissidia vigere accepisset, pro viribus elaborare, ut dissidentium animos componeret, atque ita componeret, ut inimicitias licet graves, mortalesque, pluries omnino restinguerer. Præter hæc, cum alias per annum, tum præcipue postremis Bacchanalium diebus divinam hostiam in ejus Monasterii templo, vel etiam alibi, publicæ adorationi proponendam curabat, ut scilicet & homines a peccandi occasione avocaret, & precibus divina auxilia peccantibus ab Deo imploraret, quibus vitam aliquando emendarent. Quod si HYACINTHA, quæ Abbatissæ munus perpetuo detrectavit, tirunculanum vero, atque educandarum Magistræ libenter tamdiu exercuit, id non alia sane mente, consilioque, quam ut puellas Christianæ legis præceptionibus erudiret; quod quidem singulis quibusque diebus festis ea suavitate, ac sapientia perficiebat, ut vel ipsæ Moniales docentem audirent. Quamquam vero in animarum salute procuranda adeo elaboraret, eoque etiam exitu, ut, ex ejus Confessariorum sententia, in lucrandis animis multo plus HYACINTHA valeret, ac proficeret, quam sacri Oratores; tamen ipsa majora semper conari exoptans, se e Monasterio, si liceret, egressuram dictitabat, ut vias, plateasque circumiret, simul omnes ad Dei cultum, & amorem deduceret.

Hæc HYACINTHÆ caritas eas quoque complectebatur animas, quæ post obitum in piaculari carcere detinentur. Pro his enim & preces ad Deum fundere, & emendicata pecunia sacra facienda cura-

ra-

rare, & aliorum implorare auxilia, aliaque hujusmodi, ideoque digna, quæ Monialis animam omni noxæ labe, ea suffragante, purgatam prodigialiter audiret ajentem, se ad cælestem patriam jam advolare.

Cui animarum salus tantopere cordi, haud certe minus ea erant, quæ vitæ necessitates, corporisque rationes spectabant. Itaque pupillos, viduas, egenos quosque cibariis, vestibus, pecunia sustentare; & qui carcere detinebantur, eos etiam sive a capitis discrimine vindicandos, sive a vinculis erogata pecunia solvendos, sive aliqua saltem ratione levandos curare; prorsus ut uni ex his in secreto carcere consolatoriam epistolam piscis ventre inclusam aliquando mittere non dubitarit. Tum si quæ ex Monialibus ægrotaret, ei præsto in primis erat HYACINTHA, & ministeria quæque exhibebat, eo etiam libentius, quo fœdiore, ac putidiore morbo laboraret. Neque vero hæc in ægrotos caritas intra Monasterii claustra se tenuit, sed foras erumpens, quos nosset, omnes vel escis, vel medicaminibus, vel aliis ad rem opportunis juvare pro viribus studebat, simul & alios ad id ipsum excitabat; e Monasterio etiam, si posset, perlibenter, prout inquiebat, egressura, ut in ægrotos quosque, eos maxime, qui in publico valetudinario decumbebant, opem omnem, operamque conferret. Quin etiam ut hæc tam eximia in proximos caritas perennis quodammodo, ac perpetua permaneret, duas Viterbii pias Sodalitates condendas, & suis quoque

legi-

legibus, institutisque, Episcopo comprobante, muniendas curavit, quarum Sodales sacco, sandaliisque induti, ac renes fune præcingentes, alterius quidem ægrotantes in publico valetudinario inviserent, iisque ministeria obirent, alterius vero senes ætate exacta unum aliquem in locum congregarent, ibique alerent; tum præterea universi emendicatam stipem in eos erogarent, qui vel carcere detinebantur, vel mendicare erubescebant, sive in alia pia opera impenderent. Porro autem ut omnia bene ex sententia procederent, HYACINTHA non modo necessaria quæque Sodalibus præstare, immo & cibaria flexis genibus parare, verum etiam Sodales ipsos identidem monere, hortari, ut precationi vacarent, inceptum rite perficerent, virtutemque ex animo colerent, adeo ut singuli quique ejus votis omnino respondentes, miseris haud leve solatium, & omnibus maxima virtutis documenta præberent. Quæ quidem pia opera, & caritatis exercitationes tam præclaræ, simul & salutares visæ sunt, ut qui hac ipsa in Urbe anno millesimo septingentesimo vigesimo nono piam Sodalitatem, cui nomen a sacro Corde Jesu, in sancti Theodori Martyris æde ad Forum boarium constituendam curarunt, ii, viri ut erant sapientiæ, & virtutis laude præstantes, nihil satius fieri posse putarunt, quam ut plurima ex iis, quæ illis olim ab HYACINTHA, novis hisce Sodalibus, HYACINTHA patrona, præscriberentur. Proinde si hujusce piæ Sodalitatis homines, viri tum doctrina, tum dignitate, tum pietate amplis-

plissimi, omnibus quidem illustri virtutis exemplo, abjectis vero, & egenis maximo etiam usui semper ex instituto fuerunt, & modo sunt, id profecto HYACINTHÆ in proximos caritati referendum acceptum, quæ tam opportunis præscriptionibus egentium, ac miserorum inopiæ in omne tempus studuit providere,

Ceterum HYACINTHA, ut tot, tantisque rebus, qua posset, ratione sufficeret, non ea modo, quæ ei in communi mensa apponebantur, aut dono acciperet, ea omnia Præsidum permissu in hæc conferebat, verum etiam pecuniam, aliaque ad id opportuna undique conquirebat, emendicabat, tum quoque Moniales, ceterosque ad hujusmodi pia opera præstanda magnopere hortabatur. Quod si quando nihil ei ad egentium inopiam sublevandam præter voluntatem suppeteret, neque Dei benignitate quidquam prodigialiter, ut sæpe accidit, acciperet, dolebat quidem vehementer, simul exclamabat: *Cur tota vel vestis, vel cibus non sim, ut me quoque egenis præbeam?*

Nil mirum igitur, si Dæmon tam perfectam, consummatamque virtutem iniquo animo ferens, HYACINTHAM qua præstigiis, qua sollicitationibus, qua aliis etiam rationibus tentare, ac perterrere conaretur, ut, si posset, ab instituto vitæ genere revocaret. Dei tamen Famula numquam animo fracta, divinoque implorato præsidio, victrix semper discedebat, immo vehementius etiam summum virtutis gradum obtinere nitebatur; prorsus ut

mo-

morum integritate, & vitæ sanctitate undique præfulgeret. Id autem cum omnium oculis occultare HYACINTHA studeret; haud tamen potuit, quin magnam spectatæ, cumulatæque virtutis opinionem ipsa haberet apud cujusque ætatis, & conditionis homines, vel genere etiam illustres, vel dignitate insignes, vel doctrina præstantes, eamque tam late quoque diffusam, ut vel ipsi aliquando nautæ tempestate jactati ejus opem implorarint, qua quidem implorata a mortis discrimine evaserunt. Neque enim non pluribus quoque gratiarum charismatis ab Deo ornata; siquidem sæpe & prodigia edere, & animi secreta perspicere, & futura prænuntiare, & cælestibus visionibus, atque alloquiis perfrui, & a sensibus abstracta in divinarum rerum contemplationem tota mente rapi, & vero etiam humo sublimis efferri.

Tot, tantisque cumulata virtutibus, & jam matura cælo, HYACINTHA annum agens quinquagesimum quintum, vigesimum vero sextum circiter, ex quo tam asperum vitæ genus fuerat amplexa, colicis doloribus, quibus sæpe jam in vita, tum etiam passione iliaca fuit correpta. In hoc rerum statu cum vitæ exitum, prout pluries jam prædixerat, sibi adventare nosset, Medicos de ejus valetudine frustra omnino laborare plane pronunciavit, & tum Pœnitentiæ, tum extremæ Unctionis Sacramento muniri voluit, id quidem unum moleste ferens, quod divino pane, quo tamen pridie fuerat refecta, ob ingravescentis morbi impetum rursus recrea-

recreari nequaquam posset. Morbi porro sane gravia incommoda non patienter solum, sed etiam tranquillo, serenoque animo perferre, virtutis cujusque actus agitare, & ab Monialibus singulis veniam demississime petere, ut omnibus lacrymas excuteret. Interea vero dum Psalmorum versiculos recitaret, & Deiparæ, aliorumque Cælitum opem in ultima corporis, & animæ colluctatione imploraret, viginti quatuor circiter post horis, ex quo decubuerat, evocata ad Agni nuptias, advolavit ad Sponsum, ut acciperet coronam gloriæ, quam ei Dominus præparaverat in æternum. Emortualis ejus dies III. Kal. Februarias anno millesimo sexcentesimo quadragesimo.

Jam si, dum viveret, tantam virtutis opinionem, multo etiam majorem post mortem obtinuit; siquidem ad ejus corpus invisendum tanti concursus facti sunt, ut militum custodiis opus omnino fuerit, qui affluentis populi turbam, impetumque aliqua saltem ex parte coercerent. Neque vero ejus modo faciem spectabilem, ac majestate plenam, vel membra omnino flexibilia omnes demirari, verum etiam ungues, capillos, vestimenta summo cum pietatis affectu certatim decidere, ut aliis, aliisque subinde vestibus eam induere oportuerit. Quæ quidem sanctitatis opinio cum magis magisque in dies invalesceret, & frequens hominum multitudo ad ejus sepulcrum pie accurreret, ut tam eximia virtute fœminæ cælestes honores rite constitui aliquando possent, Acta de ejus virtutibus, ac pro-

prodigiis tum ex ordinaria, tum etiam ex Apostolica auctoritate conficienda visa sunt, quorum quidem altera anno millesimo sexcentesimo octogesimo octavo, altera vero quatuor post annis perfecta sunt. Post hæc, virtutum inquisitio instituta, & re sæpius ab amplissimis Patribus in sacrorum Rituum Congregatione ex more expensa, tandem eas vere heroicas extitisse S. M. Clemens XI. anno millesimo septingentesimo decimo quinto III. Kal. Februarias Apostolico decreto confirmavit.

Proinde ex plurimis, quæ possent, sex tantum numero prodigia prolata, quæ HYACINTHA suffragante post ejus mortem patrata dicebantur. Ex his porro quintum numero erat, quod Felix Sterbinia tres & viginti annos nata ineunte Majo anno millesimo septingentesimo primo continenti febre, simul tussi, pectoris dolore, spirandi difficultate, ac purulenta, fœtidaque exscretione affecta, ut pulmonea vomica laboraret. Morbo deinde in dies ingravescente, empyemate etiam afflictata, adeo ut Quinctili ineunte Ecclesiæ Sacramentis munita, atque a Medicis deposita. Tum vero ubi HYACINTHÆ præsidium imploravit, ejusque effigiem sibi admovit, statim omnino convaluit.

Sextum referebat, quod Soror Virginia Pedantes, una ex Sororibus Conversis in Monasterio sancti Bernardini in urbe Viterbio, jam inde a pueritia epilepsia aliquantulum vexata, Martio tamen anno millesimo septingentesimo nono sæpius, & vehementius hoc morbo tentari, adeo ut ab omni sensu

sensu abalienata valde se contorqueret, & spumam ex ore eliceret. Tantum porro abfuit, ut artis quibusque subsidiis adhibitis laxata vis morbi, ut potius in dies sæviente, VII. Id. Decembres ægrota adeo conflictata, ut non nisi septem post horis sensus reciperet. Ubi primum tamen HYACINTHÆ opem exposcere per morbum licuit, subito tum eam sibi adstantem aspexit, dexteraque capiti imposita ajentem audivit, sanitati jam restitutam, uti plane contigit.

His igitur prodigiis pluribus in Comitiis a Patribus jam pensitatis, S. M. Innocentius XIII. XV. Kal. Sextiles anno millesimo septingentesimo vigesimo secundo ex his postremum, alterum vero S.M. Benedictus XIII. III. Id. Majas anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto inter miracula referendum esse edixit. Deinde vero cum Patres universi pronunciassent, HYACINTHAM in Beatorum Cælitum numerum adscribi *tuto* posse; hic ipse Pontifex Maximus pridie Id. Quinctiles anni ejusdem id fieri utique posse decreto lato affirmavit, prout solemni ritu in amplissima Vaticana Basilica perfectum est proximis Kalendis Septembribus. Accessit etiam, quod tum Viterbii, & Vineanelli incolis, tum etiam universis ex sacra sancti Francisci Familia, qui ad horas canonicas tenentur, facultas facta recitandi quotannis BEATÆ HYACINTHÆ Officium, & Missam de communi Virginum, oratione tamen propria, item lectionibus propriis secundi Nocturni, quas S. M. Clemens XII. pridie

pridie Id. Quinctiles anno millesimo septingentesimo trigesimo nono comprobavit.

His autem peractis, ut B. HYACINTHA in Sanctos etiam referri rite posset, Acta confecta de prodigiis, quæ ea deprecante patrata, posteaquam in Beatorum Cælitum ordinem fuerat adscita. Ex his tria tantum sapientissimorum Patrum judicio commissa.

Primum: Soror Paula Felix Urbinia ex puellarum Collegio, vulgo *delle Tavelle* Ravennæ undevigesimo ætatis anno sicco astmate, seu orthopnaea tentari cœpit, & per septennium sæpe acri febre, spirandi difficultate, aliisque sane gravibus incommodis eo usque vexata, dum inveterato astmate, ex Medicorum sententia, se laborare intellexit. Itaque de sua salute desperans ad B. HYACINTHÆ opem confugit III. Nonas Februarias anno millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, quo quidem die in summo vitæ discrimine versabatur, neque ita post omni depulso morbo pristinæ valetudini fuit restituta.

Alterum: Soror Margarita Fusconia ex eodem puellarum Collegio Ravennæ, celtica lue ab matris utero contracta, ubi adolescentiam attigit, tum morbo virus foras etiam exerente, assiduis capitis, & articulorum doloribus pressa, atque acutis quoque febribus sæpe in anno jactata. Decem & septem post annis, ex quo tam adversa jam detinebatur valetudine, accedentibus tuberculis in ore, & gutture, gravius in dies morbo urgeri, prorsus

ut

ut inveterata, atque immedicabili arthridite eam premi artis medicæ periti plane pronunciaverint. Cum igitur nulla salutis spes humanitus jam affulgeret, divinum sibi auxilium petendum statuit, ideoque supplici prece B. HYACINTHAM obsecravit, ut ea apud Deum deprecatrice e morbo evaderet, tum vero V. Id. Majas anno millesimo septingentesimo quadragesimo quinto chartaceam ipsius BEATÆ effigiem affectis corporis partibus admovit, & citius dicto ex infirma, & perdita valetudine ad integram, confirmatamque venit.

Tertium: Anna Gertrudes Tritonia una ex Alumnis Collegii puellarum, cui a sancto Paschali nomen, hic in Urbe, cum ab morbo, quo perdiu vexata, & morti jam proxima, Nonis Februariis anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto B. HYACINTHA exorante, convaluisset; sex post mensibus sævo, vehementique dolore sub sinistra mamilla fuit affecta, cui deinde accessit anhelatio, cibi fastidium, virium infirmitas, aliaque valetudinis incommoda. Majo tamen anno millesimo septingentesimo septuagesimo nono asperiore vexari tussi, majore spirandi difficultate, acriore dolore, eoque etiam in ægra corporis parte pulsu, ut non modo tactu, sed etiam auribus perciperetur quasi esset vel horologii motus, vel aquæ decurrentis murmur. Postremo elata, incurvataque costa, œdemate toto corpore afflictata, viribus destituta, deposita, ac desperata a Medicis fuit, quippe quæ aneurismate, seu organico præcordiorum vitio omnino laboraret.

At